



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1655

§. 99. Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens. v. 65.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

nubibus cœli, iudicem omnis creaturæ, prout de me vaticinati sunt propheta vestri. Igitur vae vobis, ô Caipha, vae vobis ô Sacerdotes & Principes Iudæorum, qui vestrum modo iudicem iudicatis, quid erit vobis in die illa? utique ira & confusio. Credite filio Dei: desinite iudicare perverse, ut non iudicemini iuste: pœnitentiam agite in tempore, ut gratiam in futuro oblatam recipiatis: humiliamini sub potente manu Dei, ut exaltemini in die retributionis. Sed frustra hæc surdis & hominibus gravi corde.

O Mi Iesu credo te filium Dei, adoro & te venturum Iudicem in nubibus cœli; sis precor propitius mihi misero peccatori in die illa magna & amara valde, quando cœli movendi sunt & terra. Ecce projicio me nunc ad pedes tuos cum publicano, peccatus meum tundens præ pœnitentia; confiteor nimia peccata mea, humiliatus, contribulatus. Da gratiam animæ humilianti te, ut in die illa tecum exaltari possit in cœlis.

§. 99. *Tunc princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens. v. 65.*

Ad quid vestem lacerat Caiphas, cum sit prohibitum Pontifici scindere vestem Levit. 21? non caret magno mysterio ista insolens scissio. nimirum ut Pontifice vero, quem pontificatus Iudaicus præfiguraverat, iam præsentem, desinat, laceretur & pereat figura, sicut sole oriente nox & umbra fugatur. Vere implentur scripturæ. etsi Pontifex Mosaicus hac cæremonia responsionem Christi, tametsi verissimam & toti mundo adorandam, tanquam blasphemiam exaggerarit, & hanc illicitam sibi scissuram procuraverit; sed, ut solent impii, etiam nescientes cooperantes consilio Dei, & proinde concilium totum ad condemnandum Christum ille accendit, fictum & vanissimum religionis & gloriæ divinæ zelum prætendens.

Quid facis ô Caipha? agnosce te hominem & erubescere, vilis, qui tibi aliquid esse videris. Aspice, ut filius Dei ob peccata tua humiliatus est, ut gloria cœli, cuius celsitudo omnem vincit intellectum, tui causa contempta & in nihilum redacta est per te. Adverte, vindictæ cupide, inflexibilis, crudelis & impatiens terræ pulvis, ut dominus dominorum omnem hanc gravissimam afflictionem patientissime ferat. Certe in omni hac molestia & iniuria nec semel eum invenies frontem in rugas contrahere, vel os aperire ad maledicendum, aut manus ad vestem lacerandam, pro patris sui defensione, ad immanem illam tuam calumniam.

O Iesu dulcis, Domine Deus meus, vix ferre potest cor sincere te amans, quod ita te persequantur, & despiciunt divinam majestatem tuam. & inhumaniter te tractant impii isti Caiphas & Sacerdotes credere nolentes verbis tuis verissimis. Ah! quis te rapacibus hiis lupis, & incredulis

H

tradi-

tradidit, ut ita veritati studiose contradicant? O anima mea, si ibi fuisses & audisses veritatem ipsam loquentem, annon illam complexans defendisses? homines impios reprehendisses? dicens: in me stringite manus, in me contumelias dicite, & plaustra maledictorum projicite. Ego sum qui feci, nihil ille peccavit, nec potuit. Iste agnus Dei innocens, sed nos peccavimus & morte digni sumus. ipse autem est qui omnem satisfactionem dare vult patri pro nostris reabus. Gratia ergo tibi immensa sint o benignissime Iesu.

§. 100. *Blasphemavit. v. 67.*

Quomodo blasphemavit? o Caipha! quia scilicet se filium Dei nominavit cum sit filius fabri? Itane? & nonne fabri æterni filius esse queat, qui Fabri æterni opera in conspectu omnium fecit? Quomodo ergo blasphemavit, qui quod dixit, testimoniis miraculorum comprobavit? Lege Moysen, lege prophetas videbis exactissime eum ab iis qui de Messia prophetarunt depictum esse. Aspice miracula, crede factis, si verbis eius credere nolis, videbis sole clarius veritatem. nam quis lumen dedit cæco nato? nonne hic Iesus? quis pavit in deserto tot millia hominum paucis panibus & piscibus? nonne hic Iesus? quis mundavit leprofos? nonne hic Iesus? quis mortuum viduæ filium suscitavit? nonne hic Iesus, qui trecenta similia mira perpetavit. an non factis probavit se filium Dei, qui se verbis id esse prædicavit. Quis alias similia fecit inter vos, anne igitur blasphemavit prædicando se filium Dei? qui opere fecit, quæ nullus alius facere potuit. Erras igitur, erras o Caipha & blasphemas ipsemet qui verum filium Dei blasphemare pronuntias.

O Iesu fili Dei vivi, quousque humiliaris & finis ut mundus te indicet blasphemum, qui patris Dei honorem ubique augere studeas & laudare & prædicare nomen eius. Insidiæ, insidiæ, non es blasphemus, sed verus Dei filius, verus in terris glorificator patris! ad talem igitur vocem cuius cor non rumpere tur? o patientia indicibilis omnes creaturæ te Deum agnoscunt & creatorem & largitorem bonorum omnium, hic Pontifex negat, insuper & te vituperat? & blasphemum declarat? cur non mandas ut ignis de cælo veniat & tale crimen puniat, aut vivum terra absorbeat? sed divini ardor amoris, qui tam ferventer ardet in te, ut nullus possit aquis extinguere, non permittit, ut alio velis igne homines absorbi, quam igne caritatis, igne dilectionis.

O igitur Iesu virtutis speculum, forma perfectionis, via vitæ, lucerna pedum meorum, da ut vestigiis patientiæ, humilitatis, obedientiæ & charitatis tuæ fideliter inhæream, adeoque vita mea cum tua concordet, qua-

qua-